



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Laymann, Paul

Dilingæ, 1666

Lectori Salvtem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)



LECTORI SALVTEM.

P Rodit nunc tandem è prælo, publicam in lucem, partus posthumus Juris Canonici, à piæ memoriæ P. Paulo Laymann, Societatis nostræ Theologo, progenitus; qui, ut erat acri vir ingenio, defæcato judicio, studio indefesso, rarâque animi demissione ac modestiâ profundâ, quâ præcellebat, Juris ac Theologiæ moralis doctrinæ pari passu conjunctâ, præstans, ità solidis & exquisitis elucubrationibus libros decretales D. Gregorij Papæ IX. & Bonifacij VIII., post moralem Theologiam (iteratis, magnâ cum utilitate multorum, vicibus à se priùs editam,) adeò luculenter & feliciter illustravit: ut has, ejus ingenio, studio, ac virtute dignas, commentationes, non tantum Auditores frequentissimi, quos ipse, primus hîc Juris Canonici Professor, compluribus annis à vigesimo quinto hujus sæculi docebat, calamis semper avidissimis exciperent, sed aliarum quoque celebriorum Universitatum excellentissimi quique J. U. Doctores, ac Professores, in suorum etiam Auditorum usum & commodum, non tam in transcriptis exemplaribus communicari sibi cuperent, quàm, ut earum insuper copia communis omnibus Juris amantibus, beneficio typi publici, sinè morâ fieret, ardentibus votis exoptarent. At interveniens, à diuturnis Germaniæ bellis, injuria temporum, & inopia sufficientium sumptuum, & (quod rei caput est,) ipsum revidendis, & ad prælum parandis, paginis intentum auctorem intempestiva mors occupans, moram desiderio nostro longiorem injecit: quæ tamen si, divinæ providentiæ indultò, pauculos unius anni spatio menses, laboribus, & vitæ ipsius, addi permisisset;

AD LECTOREM.

misisset; multò citiùs & expeditiùs ad impressionem operis tam utilis, & tam exoptati, manus typhotetarum, ac librariorum, appositæ fuissent.

Tametsi verò ne nunc quidem sint omnes in præsentì congestæ tomo partes totius operis; cùm ejus libri alii etiamnum imprimendi supersint: expectationi tamen ac desiderio plurimorum insigni doctrinâ præstantium Virorum ut aliquâ saltem ex parte satisfiat; placuit nobis, dum expédiantur & reliqui, unum saltem; eúmque primum illorum, in publicum emit-ti: qui profectò doctrinâ tam abundante refertus est, ut vel ex eo solo fructum uberem sint reportaturi, qui studium & operam suam ejus attentæ lectioni diligenter sunt impensuri.

Quæ placuit Auctori, Methodus, accuratè quidem observat eundem Titulorum, & Capitulorum ordinem, quem ipse textus in Corpore, quod is interpretatur, tenet; & ad ejusdem Corporis usum Juris Studiòsis familiariorem ac faciliorem reddendum, non parùm conducit: simul autem, ad unumquemque Titulum easdem pertractandas materias revocat, quæ sub iisdem titulis reperiuntur, in libro decretalium sexto.

Atque hæc obiter prælibata tibi sint, benevole Lector, ad primam hujus Operis frontem: Fructum dulciorem hauries, ex ipso fonte: quo largiter fruire, & vale.

LIBRI